

in superioribus fuerit expositum, hoc loco non repeto.

18. Ex dictis liquet, axioma illud, *omne quod est alicubi est*, quamvis suo modo ad res omnes queat accommodari, quia tamē longē alio sensu de rebus corporeis, alio de intellectualibus dicitur, non posse ad Ontosophiam commodē referri. Neque enim communis conceptus, definitio aut demonstratio alicubitatatis assignari potest, quæ extensionem corpoream & cogitandi actum pariter includat & ab utroque æqualiter abstrahat.

EXERCITATIO LXVII.

De uno & multo axiomata decem Ontosophica.

1. **P**roferemus nunc axiomata aliquot de uno & multo, ex Parmenide Platonis potissimū desumpta, quæ majori ratione ad Ontosophiam referri proque universalibus de entibus quatenus entia sunt effatis haberi possunt.

2. *Posita multitudine ponitur unitas, seu, in iis quæ multa sunt, inest & unum, quoniam ex unitatum collectione multitudo exsurgit. In hoc effato fundantur plures regulæ*

regulæ